batur, quod eodem tempore concordiæ nomen ſermonibus Cæſar uſurpans cuncta ad bellum ſummo nixu compararet, atque expediret. Itaque Franciſcus rem omnem Joanni Baduario Legato aperit, acriuſque ad bellum incitatus in Morinis ad Ardreſium oppidum in colloquium cum Anglo deſcendit; pacem nuper ſanctam firmat; Venetorum amicitiam omni officiorum genere fovet; ut nuper ſibi natæ filiæ ſacro fonte abluendæ adſiſteret, Senatum invitat, Legato id muneris ejus nomine obeunte. 1521

Colloquium inter Galliæ, & Angliæ Reges.

Ceterum Pontificis animus nunquam acquieſcere, novis aſſidue rebus ſtudere, plura in ſpeciem, quæ ad pacem attinerent, Reipublicæ oſtentare, in id omnes nervos intendere, ut imperii amplificandi, nominiſque provehendi materiam pararet. Quæ cum eo ſpectarent, ut iterum turbatis rebus, in novas bellorum procellas Italia conjiceretur, Senatum in ſummam ſuſpicionem adduxerant, ne cum Gallo Pontifex arctiori vinculo junctus Rempublicam in ingentes difficultates impelleret; cum inter cetera, ut perduelles, ac facinoroſi homines a mutuis regionibus hinc, atque inde communibus armis ſummoverentur, pœniſque afficerentur; quo Eſtenſes Ferraria pelleret, Italica ſocietate caveri vellet. Quibus permoti Patres, qui antea mandata ſubſcribendi fœderis Oratori dederant, S. C. revocarunt, Regique ſignificarunt, mirari nova ſuboriri quotidie impedimenta, ut non propugnandæ Italiæ, ſed belli excitandi his fœderibus a Leone fundamenta jacerentur; dum tantum non aperte Cæſarem, provinciaſque, quibus belli faces admoverentur, deſignaret. Quid vero quod perduellionis, & criminum reos perſequi omnibus modis ſtatueret? id enim præterquam quod plurimum rationibus Reipublicæ officeret, cujus militum Præfecti exteris provinciis orti publica ſtipendia facerent, aperte innuere, illius animo, ut Ferrarienſis Dux avito imperio pelleretur, penitus inſediſſe; quæ quantum momenti habitura eſſent, nemo non videret; dum de communi firmanda ſocietate, ac ne Cæſar in Italiam arma inferret, actum fuit, ultro, ac lubenti animo Senatum aſſenſiſſe: modo non de tuenda Italia agi, ſed ut cuncta bellorum tumultibus miſceantur, quæ ex pactionibus Regi Senatus teneretur, alacri animo præſtaturum; iis, quæ a Leone proponerentur nullo pacto aures præbiturum. Itaque fœdus

Veneti Feſcaro adimunt mandata fœderis ſubſcribendi.

quam-